



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Accusare inimicum, & non remittere luridicè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

discrimen inter primum, & quintum actum: in odio enim in quo consistit primus actus desideratur alteri malum, solum ut ei sit malum; idque absque modo, vel mensura; In vindicta vero (ita vocatur actus quintus, imò & ceteri præter primum) solum secundum mensuram delicti, in odio sistitur in malo proximi, in vindicta sistitur in recto ordine iustitiæ; in odio non fit reparatio injuriæ eo modo, quo debet fieri, in vindicta vero fit debito modo, nempe medio Iudice, non autem immediate per ipsum læsum, læsus enim, licet possit ex lo. Sanchez d. 2. m. 11. à Iudice, immò & à Deo petere prædictam vindictam iustam, quantam scilicet meretur culpa lædenti: non potest tamen ex se ipso infligere, juxta illud ad Rom. 12. *Mibi vindicta, & ego revivam.* Cum ergo in primo actus læsus ex se desideret malum, ut malum alteri: in Quinto autem non esse, sed à Iudice, idque cum moderatione juxta quantitatem delicti: clarè apparet, esse hos actus valde diversos.

Verum nondum animus quiescit, nisi ad peculiare nonnullos casus, de eodem hæc argumento explicandos, descendamus.

Accusare inimicum, non remittere iudicè, &c.

9. Licetne apud Iudices inimicum accusare, accusationem prosequi, nec ab illa velle desistere, nec velle remissionem per publicum instrumentum, seu Notarij scripturam exhibere?

Respondet: Si hæc fiat intentione dicta in primo actu certum est esse mortalia: si aliis modis, non esse; etiam si quancunque aliam satisfactionem lædens afferat. Ita Lessius *ibid.* n. 24. Suar. Coninch. Lorca, alique apud Castro Pal. loco cit. n. 9. Ratio est, quia læsus in his, quod iustum exposcit. Absit tamen scandalum: quod aberit, si tuam intentionem palam facias.

Videbitur alicui esse aliquis scrupulus, si hæc fiant, ex intentione *quinto loco* explicata. Verum, fateor esse consulendum, ut juxta Christi Domini consilium, huic tuæ satisfactioni propter ejusdem amorem renunties: tamen in rigore peccatum non est, quia cum Iudices sint à Republ. positi; ut reos puniant, & læsis satisfactio exhibetur; idque sit bonum Iustitiæ ut modò vidimus; & secus iniquè ejusmodi Iudices pro satisfactioe offensorum ponerentur: consequenter dicendum, si læsi hoc ipsum petunt, Ius ex Iustitia debitum petere. Quod si ipsi reo id sit provocativum odij, scandalum est passivum: læsus enim dum rem iustam petit, & dum à publico Iudice eam petit, nihil mali, & nihil speciem mali habens committit adeoque in scandalum peccaminosum non incurrit.

10. Si tua satisfactio, exemplum punitionis delinquentis, & hi similes bonis fines sint aded leves, & cum ea facilitate animi negligi possint, ut longe superentur damno, quod inops, verbi gratia familia rei puniendi passura esset; tunc alicui videbitur obligare Charitas ad publicè remittendum: nam ex probabiliore sententia dicta §. 1. m. 8. Charitas obligat proximimalo gravi succurrere, si cum parvo proprio incommodo possimus. Notanter dixi (alicui videbitur) nam hic adest culpa, quæ semper meretur dignam poenam; & hæc re ipsa à Iudice, ne imò punita remaneant delicta, infligitur, nullo respectu habito ad damna familiæ rei: quod non est in casibus, de quibus, sermo fuit in dicto n. 18. Cui ergo non licebit ad dictam poenam concurrere ei, qui ex bonis finibus prædictis accusat? Nam fortasse propterea absolute Lessius paulò antè n. 7. dixit licere: nec hanc, vel similem exceptionem adhibuit. Id tamen expende, Lector, accuratius.

Salutatio inimici.

11. Frequens Confessoriorum & Pœnitentium scrupulus: Aio te non esse regulariter obligatum salutari inimicum: Ita Suar. d. 5. de Charit. sect. 5. n. 8. Con. d. 24. de Charit. d. 6. n. 91. Bonac. 1. d. 5. c. 1. Decal. præc. 9. 4. p. 3.

n. 9. Diana p. 2. m. 15. ref. 62. Ratio, est, quia cum veni te, neamur salutare quosque nobis obvios; salutatio omisso non est per se signum odij, nec ex excitis inimicum ad odio habendum non salutantem.

12. Dixi (regulariter): nam si antea illum solitu erat salutare, & nunc salutatio abstinere; vel si circumstantiis colligatur, te nunc salutationem omittere, ex odio propter injuriam acceptam, vel si inimicus lit tuus superior; vel si occurrentibus pluribus: inter quos est inimicus; ceteros salutes, excepto inimico, vel soluta omissionem salutationis, oculis præter solitum davis inimicum aspicias; insolitè fastu pileum capiti compimas: peccabis sanè, quia sic fomitem odij sine dubio præbebis. Iuvat asserere Hurtadi de Mendoza sententiam apud Dian. p. 5. tr. 13. r. 89. Ab obligatione salutandi (inquit) solvo, Primo Patrem, Prelatum, Iudicem quado ex circumstantiis colligitur in poenam iustam, eos non salutare inimicos. Secundo, eos, qui sine gravi incommodo honoris non possent salutare inimicum, hoc tamen est valde rarum. Tercio, eum qui infamem accepit injuriam, cuius estimatio petit austeriorem cultum ut vocatus fuisset Fur, Judex Sodomitæ tunc enim prudenter censetur omissionem salutationis non esse ex odio, sed ex iusto calore, & ingenti accensione, quæ iuste omittit urbanitatis signum esse multis argumentum, eum parvi estimasse tam acerbam injuriam.

13. Duo Religiosi, cujusdam rixæ causa, se intra septa domestica non salutant, peccantne mortaliter, si antea se invicem salutare consueverunt? Respondet: Ita profectò quia par est scandalum aliis Religiosis, ipsique invicem, qui rixam habuere. Excusari à mortali tunc possent, ex Trullench. *max. quando* n. 7. quando comperta esset horum probata virtus: & rixæ, ejusque causæ, quam alij sciunt, fuisset levis, unde judicentur non ex odio gravi, sed ex levi quadam passione, vel in significationem accepti gravaminis, & injuriæ moveri ad omittendam salutationem. Idem usu venire posse video in timoratis secularibus, levi causa rixæ existente, præsertim aliis cognita: ut item, inter maxime conjunctos, inter quos difficulter præsumitur intercepere ex hoc solo signo odium grave, ut inter patrem, & filium, &c. Ita Valcrus apud eundem Trullench. l. c. vide etiam Diana. p. 2. tract. 5. r. solut. 62.

Resolutio ejusdem.

14. Si inimicum modo dicto graviter tibi infensum te salutantem non refalutes, peccas mortaliter, Ita Suar. Coninch. Bonac. *ibid.* Ratio est, quia posita inimicitia, omisso salutationis non solum imputatur inurbanitas, sed maxime odio. Excipe, nisi aded inferior esset salutans, vel earade essent circumstantiæ, ut ejusmodi odij iudicium non fieret. Idem, puto esse, si ita animo dilatarem te similes, ut verè appareas ad salutationem non advenisse.

15. Quæsit nuper quidam à me, An si certè mortaliter prævideam mihi salutanti inimicum, ipsum cum debita resalutatione non respondendum, an inquam, obliget salutare, quamvis mihi tunc incumbat priorum esse in salutando? Certè non ausus sum obligare; quia sic subiret periculum graviter inveniendi contra non salutantem, fierentque peiora prioribus; quia tunc tibi imputare deberet inimicus, qui ita se gerit, ut certitudinem mortalem de omissione suæ resalutationis alteri det. Vide quæ max. n. 23. dicam de nolente acceptare tibi oblatam satisfactionem.

16. Quæsit rursus nobilis Matrona, cui patris nobilitatis vir consanguineum occiderat, an obligaretur illi resalutare more patrio, quo Matronæ viros nobiles salutantes resalutat inclinatio corpore, vel saltem capite. Ego voluissim obligare; quia salutatio tunc denegare, est ostendere odium: verum quidam doctus à me consultus, nequaquam sub mortali obligavit. Matrona enim Matrona, cujus non est vindictam sumere de injuriis, illa denegatio salutationis non est odij signum, sed sensus iusti doloris, vel muliebri fastus, vel quidam simile.

Excusatio